

DISSERTATIO
INAUGURATIO

DYSENTERIA

ANNUENTE

ET AUCTORITATE RECTORIS

D. GEORGII
ACADEMIÆ EDINBURGHENSIS

EXPLICITISSIMI SENATUS

REVERENDISSIMÆ FACULTATIS

Pro Gradu

IN MEDICINA

LEGITIME ET LEGITIMIS

RECTORIS

SAMUEL HEWSON

Vi

Quis legit hæc

CALENDIS AUGUSTI

EDINBURGH

EXCUDIT

*Opera
à la mode*

(11.)
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEQNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL HENRICUS SMITH,

~~Scotus.~~
West-Indicus

Quis leget hæc? Nemo, Hercule, nemo.

Pers. Sat. 1.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

*Opera Universa
Samueli Hen. Smith,*

THE HISTORY OF THE

... ..
... ..
... ..

... ..
... ..

... ..
... ..

... ..
... ..

... ..
... ..

... ..
... ..

... ..
... ..

... ..
... ..

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
DYSENTERIA.

Auctore SAMUELE HENRICO SMITH.

NULLUS morbus, præ alio, sibi attentionem medici vindicat. Omnes, tanta est humani generis infelicitas, investigationem cautam et patientem postulant.

Sed quia in regionibus calidis diu vixi, et mihi opportunitas frequens hujus morbi observandi præbita fuit, pauca ergo de ejus natura et curatione dicere statui.

Morbus de quo nunc agimus a celeberrimo CULLENO in prima classi Nosologiæ, et in ordine

Profluiarum ponitur, et his verbis definitur: “Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ, vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis; tormina; tenesmus.”

HIPPOCRATES, sub nomine Dysenteriaë, omnia intestinorum profluvia comprehensit. Alii autem significationem magis accuratam huic dederunt verbo, quorum præclarus est CULLENUS, cujus definitionem jam citavimus; sed huic multi se opponunt, et contendunt, Dysenteriam nunquam (nisi cum aliis, qualis est febris typhus, morbis conjunctum) esse contagiosam. Alii, iterum, putant materiam contagiosam e natura mucosæ membranæ, quæ intestina tegit, constare, et non ægri spiritu halituve.

Sed de hisce opinionibus pauca in altera parte hujus dissertationis dicamus. Quod CULLENI definitionis restat, satis est concinnum haudque in dubium vocari potest.

HISTORIA MORBI.

OMNES regiones invadit Dysenteria, sed præcipue eas, quæ sub sole fervidiore sitæ sunt.

Nullæ ætati, nulli sexui parcit. Debiliores potius quam robustos aggreditur. Nullum anni tempus homines hujusce morbi impetu incolumes præstet, sed magis sub finem æstatis vel autumnii initium sævit. Variis modis incipit Dysenteria. Nonnunquam indiciis pyrexix̄ consuetis se primum ostendit, nempe, horrore aliisque stadii frigidi signis, quibus calor et sitis superveniunt, et paulo post vera Dysenterix̄ symptomata. Frequentius accidit, intestinorum affectum, primum esse symptoma.

Haud raro hunc morbum antecedit diarrhœa, quæ in eum gradatim convertitur; sed sæpe etiam ab initio mali, fæces plane dysentericæ sunt, plus minusve sanguine striatæ; adsunt tenesmus et tormina; tunc superveniunt signa febrilia, magna diminutione virium comitata. Dicit tamen JOHNSON: " I have known the fever run high for several hours; nay, for a whole day, before there is any local demonstration of Dysentery."

Interdum nihil nisi languor et lassitudo sentiuntur, dolores semel, vagi sed leves, pervadunt corpus, et vires animi ita ac corporis imminutæ sunt. Incipit morbus fere modo sequenti. Æger sensu frigoris, dolore capitis dorsique corripitur, lassi-

tudine maxime opprimitur, et interdum in regionibus calidis subsequitur vomitus materiæ biliosæ. His brevi tempore accedunt calor magnus, pulsus validus, cutis arida, et sitis insatiabilis. Abdominis dolores vehementer acuti sunt, quos excipit desiderium inexpugnabile dejiciendi sine effectu optato, et mucus tantum, sanguine commistus (vel sanguis purus), illicitur. Hoc stadio morbi nunquam naturales sunt fæces, et cum evacuantur intestina, (quod raro sine ope medicamentorum accidit,) induratæ et concretæ inveniuntur, massis parvulis, quibus nomen *scybalorum* afficitur.

Horum evacuatio scybalorum tamen semper auxilium magnum præbet, præcipue torminis et tenesmi remissione. Variat sanguinis in dejectionibus quantitas; aliquando striatæ sunt tantum fæces; aliis exemplis majorem format portionem sanguis, aut, ut jam supra notavi, totam intestinorum evacuationem; “so that,” inquit WILSON PHILIP, “it might be mistaken for hæmorrhoids.”

Nonnunquam aquosæ et ichorosæ sunt fæces, aquæ in qua caro lota est similes, et tam acres ut sæpe anum natesque erodunt. Magis magisque ingravescit febris, et interdum per partem cursus

majorem synocha, sed frequentius stadio primo, et etiam ab initio, typhoidea est. Anorexia, dyspepsia, et debilitas ægrum opprimunt, qui nec die nec nocte otio potitur. Tormina circa umbilicum et partem abdominis inferiorem, desiderium quam maximum dejectiendi inducunt, sed pariter sanguis solum demittitur. Omnia nocte symptomata adaucta sunt, et non infrequenter supervenit delirium.

In stadiis remotis sæpe materia membranacea, aut caseosa, aut etiam purulenta, emittitur. Urina parca et fusci coloris est; necnon Ischuria vel Dysuria plus minusve adest. Lingua, quæ morbo incipiente alba, nunc nigro tegitur muco. Pulsus contractus, et durus est, et sæpe centies plusque micat. E nisibus violentis haud infrequenter descendit rectum intestinum, quod diu extra manet, multumque doloris et molestiæ gignit.

Dysenteria tribus potest desinere modis:

1mo, In resolutionem, sive statum quo corpus rursus in salutem solitam redit.

2do, In mortem, ex gangræna supervenientem.

3tio, In conditionem chronicam, in qua vel a mitiori morbi natura, vel a remediis rite adhibitis,

evitata est mors, sed partes morbidæ magnam subierunt injuriam.

Dysenterix duratio incerta est, et multum a signorum violentia corporisque indoli pendet. Resolutio efficitur ubi symptomatum violentia cedit, nempe abdominis dolor, tenesmus, tormina et dejectiones frequentes, quæ naturales gradatim fiunt, minusque sanguine striatæ. Etiam ubi pulsus tardior et mollior evadit, perspiratio per cutem totius corporis diffunditur, lingua nitida fit, cessatque sitis. Quando morbus lethalis est evasurus, omnia ingravescent signa; pulsus debilis et celer, respiratio difficilis accelerataque, ventriculus instanter cibum rejicit, viresque exhaustæ sunt. Vultus pallidus et collapsus. Fæces et urina, ægro inscio, elabuntur, et frigescunt extrema.

Gangrænæ accessus notatur, ubi remedia inutilia sunt, et morbus in pejus mutatur. Præterea accidunt vomitus, inquietudo, vultusque anxius. Delirium quoque citius sequitur, subito remittunt dolores abdominis, singultus urgit, male olet corpus, et mors amica scenam claudit.

Stadium chronicum distinguitur febre et signis urgentibus paulatim cessantibus, dum manent

dejectiones frequentes et tenesmus, cum dolore plus minusve vexante, post singulas evacuationes. Dejectiones e muco aquoso constant, parcae sunt, et etiam sanguinolentæ, sed raro membranaceæ. Quidam in hoc stadio vitam diu agunt miseram, et tandem febre exhausti hectica, moriuntur; dum alii, remediis adhibitis propriis, paulatim, quamvis tarde, in sanitatem redeunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

OMNIA quæ corporis humani vires vel animi facultates minuere queant, homines Dysenteriae obnoxios reddunt. Illos igitur præcipue invadere invenimus, qui vigiliis, intemperantia, defatigatione, vel deprementibus animi affectibus, exhausti sunt. Hisce languida concoctio, ventriculus debilis, alvusque tarda, morbo originem plerumque præbent. Usus liquorum ardentium immodicus ventriculum debilitat, Dysenteriamque inducit. Sed præcipue ante omnia calor, humiditasque aëris atmosphærici, et subitæ caloris et frigoris vicissitudines, magnopere hunc morbum inducunt. Miles quotidianis defatigatus itineribus,

sæpe sub Jove frigido, sæpe sub sole ardenti; nauta per diem diu laborans, omnibusque cœli mutationibus expositus, et per noctem, vigiliam, humidis sæpe vestimentis, agens, utrique Dysenteriae sunt procliviores. In castris navibusque itaque virulenta sævit. Ab hac etiam causa multo est frequentior in regionibus calidis, et in autumno Britanniae, ubi dies sole ardenti fervent, roresque insalubres noctem pervadunt. Potissimum convalescentes quam sanos adoritur.

Inter alias Dysenteriae causas numeranda sunt immundities, aër impurus, cibus tenuis et putridus, et, ut supra dixi, animi affectus deprimentes, veluti mœror, metus, anxietas.

CAUSÆ EXCITANTES.

MULTUM de contagio Dysenteriae disputatum est. Putant et CULLENUS et PRINGLE morbum semper esse contagiosum. Ille in definitione sua Pyrexiam appellat Contagiosam; et hic, de Dysenteria loquens, his utitur verbis. "In camp the contagion passes from one who is ill to his companion in the next tent, and from thence

perhaps to the next. The foul straw becomes very infectious. But the great sources of infection are the privies, after they have received the dysenteric excrements from those who fall ill. The hospitals likewise spread it; for those who are admitted with the flux, not only give it to the rest of the patients, but to the nurses and other attendants." *Contra autem multi Dysenteriam unquam a contagio oriri omnino negant, et JOHNSON hæc habet: "Neither Dysentery itself, or its attendant symptomatic fever, is contagious. Not one of those academic teachers who confidently state its contagious nature, could adduce a single proof of their own experience of its being so."*

In hanc controversiam hujus dissertationis limites descendere non sinunt. De utraque opinione multa adduci possunt; sed certe confiteor, satis mihi placet opinio eorum qui putant, hunc morbum sine ullo miasmate vel contagio excitari posse; nam multa Dysenteriae exempla quæ a contagione oriri videntur cum typho sæpe conjunguntur. Febris certe ab alio in alium serpere potest, sed nunquam occurrent Dysenteriae symptomata, nisi excitantes applicantur causæ. Hu-

jusce morbi excitantes causæ satisque evidentes, subitæ sunt mutationes cœli; frigus humidum, quod sæpe in autumnno diem ardentem sequitur, cutis halitum reprimat, et tam arctus est consensus inter cutem et tunicam intestinorum internam, ut in hanc membranam impellatur exhalatio. Secretio hæc aucta et morbosa partes stimulat internas, et subsequuntur inflammatio et omnia symptomata quæ Dysenteriam constituunt. Nihil denique mirum est, hunc morbum inter milites pauperesque, qui omnibus cœli varietatibus sæpe exponuntur, tantopere grassari.

Putant quidam, bilem quantitate auctam ad Dysenteriam inducendam, sæpe contulisse; dum non temere existimant alii ad morbum tollendum, conducturam esse. Naturale intestinorum est bilis purgatorium, et in Dysenteria omnia quæ alvum solvunt, levamen afferunt. Necnon congestio bilis, quæ post mortem in vesica fellea plerumque inventa est, satis indicat, fluxum in intestinis potius obstructum quam auctum fuisse. Aliæ existunt causæ excitantes, nempe, cibus concoctu difficilis, et fortasse fructus maturi vel immaturi, et præ cæteris usus spirituum ardentium

immodicus, quo tot homines in regionibus præcipue calidis, pereunt.

CAUSA PROXIMA.

DE causa proxima hujus morbi varie disserunt auctores. SYDENHAM et HEBERDEN a materia quadam in intestinis deposita motusque eorum abnormes ciente, constare putabant; et inquit HEBERDEN, "Cogitanti itaque mihi de natura Dysenteriaë, visa est contineri in humoribus vitiosis inclinatis in intestina, quæ inde vehementer perturbata sunt, et in motus inordinatos conjecta, sic ut intus lædentia exitum non habeant." CULLENUS autem celeberrimus omnia Dysenteriaë symptomata stricturaë spasmodicæ coli et recti referebat, et sic scripsit, "That the proximate cause of Dysentery, or at least the chief part of the proximate cause, consists of a preternatural constriction of the colon, occasioning at the same time spasmodic efforts, which are felt in severe gripings, and which efforts are propagated downwards to the rectum, occasioning frequent stools and tenesmus." Hæc tamen sequela non causa

esse videtur. Satis est enim evidens, irritationem inflammationemque tunicae mucosæ, stricturam spasmodicam coli rectique excitare, et proximam constituere causam. Cadaverum sectiones hanc confirmant sententiam; nam in tunicis intestinorum villosis, omnes inflammationis observantur notæ. Intestina aliquando alia aliis adhæerunt præter naturam, sed inflammatio hanc crassitudinem et morbidam inducit contractionem.

Doctores autem ARMSTRONG et JOHNSON hanc recusaverunt opinionem, et inflammationem non causam proximam, sed potius morbi effectum affirmarunt. "It is in Dysentery as in fever," inquit JOHNSON; "inflammation is not the original cause, but undoubtedly it is the principal effect which we are to dread, and which we are to endeavour to obviate." Dolor vehemens qui transitum scybalorum vel aliarum fæcum comitatur, sensui membranæ mucosæ aucto tribuendus est. Tenesmus etiam ad irritabilitatem auctam facile referri potest. Ratio omnium symptomatum, me judice, satis reddita est; sed restant dejectiones sanguinolentæ, quæ ad vasa intestini minima rupta, facillime referantur.

DIAGNOSIS.

DYSENTERIÆ symptomata, tam fere propria, evidentia, et sui generis sunt, ut vix cum aliquo alio morbo confundi potest. Existunt tamen tres morbi, quibus quodammodo communia sunt signa, nempe Diarrhœa, Cholera, et Colica. De his difficile est errare, sed tamen de singulis pauca dicamus.

1mo, Diarrhœa a Dysenteria distinguitur pyrexixæ absentia. Tormina et tenesmus quæ Dysenteriam semper comitantur, in Diarrhœa multo sunt leviora, vel omnino desunt. Nunquam sanguine commiscentur fæces in diarrhœa; liquidæ et copiosæ sunt, neque scybala referunt. Illa denique putredine et odore fæcum dysentericarum carent.

2do, Choleram a Dysenteria cognoscimus colore et natura dejection^{is}um, quæ in illa semper biliosæ sunt. Comitatur etiam Cholera vomitu bilis urgenti, et spasimis musculorum cruralium. Tenesmus si adest, lenis. In Cholera etiam tam subito

prosternuntur vires, ut mors viginti quatuor horis interdum sequitur.

3tio, Satis facilis est diagnosis inter Dysenteriam et Colicam, ut vix falli potest medicus. In Colica, dolor præcipue circa umbilicum (qui spinam versus retractatur), torquet, et pressu imminuitur. Absunt et febris et tenesmus. Pertinaciter obstipatur alvus, urgentque musculorum abdominis spasmi. Vomitus interdum in Colica occurrit, et instar stercoris est. His signis facile distinguitur Colica a morbo de quo nunc agitur.

PROGNOSIS.

ANTEQUAM de hujus morbi eventu judicium nobis dare licet, multa summa cura perpendamus, scilicet morbi durationem, anni tempestatem, vires ætatemque ægri, cœli temperiem, causas prædisponentes et excitantes, anque sit simplex compositusve. Febris etiam quæ signa comitatur consideranda est.

In cœlo nostro, ut accessiones sæpe sunt mitiores, certe fausta est prognosis. Sed inter tropicas, et in castris ubi multo vehementiores sunt causæ

excitantes, infaustior est prognosis. Si ægri vires haud multum exhauriuntur, florentique gaudet ætati; si fæces fere naturales, copiosæ, nec sanguine distinctæ; si denique, absunt et tormina et tenesmus, prognosin faustam formare liceat. Pyrexia etiam lenis, pulsus mollis, medicamentaque ventriculo convenientia, propitia sunt signa. Sudores lenes, et eruptio miliaria multum proderunt; et scripsit MOZELY: "If the patient break out into a rash, efflorescent eruption or boils, the disease will soon be removed."

Contra vero, si dejectiones frequentiores sunt, et sanguine membranaque constantes, fœtidum emittunt odorem; si urget tenesmus, cum febre typhoidea, infelix est prædicanda terminatio.

Magna subitaque virium prostratio, sudores frigidi super pectus et faciem erumpentes, vomitus, singultusque, summum minitantur periculum. Ubi sequentur convulsiones, subitoque cessat dolor, nihil valent medicamenta; mors expectanda sit, citissimeque ærumnis ægrum eripiet.

RATIO MEDENDI.

NULLUS est fortasse morbus qui potius remedia prompta et efficacia postulat quam Dysenteria. Nam auxilio ad initium omisso aut inscienter sumptis indicationibus, tam cito progreditur morbus, ut vix medicus denique ullum auxilium ferre potest, et æger tam infirmatur, ut hydrops vel tympanites succedat, et mors miseram vitam protractam finit. Contra autem, remediis rite tempestiveque exhibitis, brevi solvitur morbus. Variæ sunt opiniones quæ ad Dysenteria curationem spectant. Hæ omnes de singulis theoriis causæ proximæ pendent. CULLENI discipuli illis utuntur^{ur} remediis quæ semel stricturem spasmodicam coli rectique solvunt, et fæces induratas expellunt.

Quidam iterum, qui morbum e functionibus hepatis læsis constare affirmant, hydrargyrum remedium putant specificum. Dum ab aliis, qui symptomata ad exhalationem cutis obstructam referunt, diaphoretica usurpantur remedia. Numerandi etiam pauci qui signa ad debilitatem

relaxionemque referentes, astringentia et tonica adhibuere medicamenta.

Jam affirmavi causam Dysenteriae proximam inflammationem esse tunicae mucosae intestinorum, irritabilitatemque hujusce tunicae multum esse auctam faecibus retentis. Duæ curationis denique sunt præcipue indicationes :

1mo, Minuere actionem intestinorum inflammatoriam.

2do, Materiam ex intestinis offendentem removere.

De corporis vigore restituendo, (nam ut supra dixi maxime in hoc morbo sternuntur vires), paulo etiam dicamus.

Ad primum implendum consilium, nempe inflammationem intestinorum minuere, utenda est *venæsectio*. Hoc in omnibus inflammationis exemplis remedium est efficacissimum ; et in Dysenteria, si juvenis et robustus sit ægrotus, si pyrexia vehemens, pulsus durus, urgentesque adsint abdominis dolores, certe adhibenda, et donec removeatur diathesis phlogistica, repetenda est. MOZELY, de venæsectione locutus, hæc habet :
“ There are but few cases where it may not safely

be done in the beginning of the disease, observing not the age but the strength of the patient." Sæpe accidit pulsum in Dysenteria, (sicut in aliis intestinorum morbis), frequentem esse debilemque, sed nihilominus mittendus est sanguis. Dr D. MONRO ita de hac re scripsit: "Nor were we discouraged from bleeding by the low, quick pulse, which often attended the disorder, and we frequently found the pulse rise as the blood flowed from the vein." In nosocomiis vero, præsertim si typhus morbum comitatur, manu cauta utendum est scalpellum. Idem MONRO in alio loco ait, "But when the sick were low and weak, without much pain or fever, and the pulse was soft, we were more sparing of the vital fluid." Sanguinis missio per hirudines abdomini admotas, aliquando felices inducit effectus.

Emetica.—Statim post sanguinem detractum, adhibendum sit emeticum, et promoveri debet vomitus haustibus infusi Anthemidis nobilis vel aquæ tepidæ copiosis.

Grana quindecim pulveris Ipecacuanhæ, vel per se vel cum granis duobus Tartratis Antimonii conjuncta, optime huic inserviet consilio.

Sed fortasse nimis sit vehemens ægro debilitato antimonium, et potius solummodo usurpetur Ipecacuanhæ pulvis. PRINGLE hoc remedium parvis exhibebat dosibus sæpeque repetitis, et sic, nausea inducta, cutis halitum restituit. WILSON PHILIP etiam de hoc modo operandi Ipecacuanhæ in Dysenteria, sic ait: "Their effect is not merely that of emptying the stomach, and preventing the introduction of irritating matter into the intestines, but they also determine to the skin, thus tending both to allay fever and relax the bowels." In regionibus autem calidis, ubi ventriculus fere omnibus in morbis irritabilis existit, rarius adhibent emetica medici. Ubi urget nausea perpetua, tametsi evacuatus fuerit ventriculus, haustus effervescens cum opio magni erit beneficii.

Diaphoretica.—Ut jam supra dixi, Dysenteriam sæpe a perspiratione obstructa oriri, sequitur illa usurpari debere medicamenta, quæ humores ad cutem dirigant. Ad hoc consilium implendum, diaphoretica et balnea tepida præscripta fuerunt. "Nothing," inquit BLANE, "tends more to relieve griping and tenesmus, than

“ a general warm moisture on the skin ;” et alio loco, “ The warm bath is of great service, especially when the gripes and tenesmus are severe, and the fever has been taken off by previous evacuations.” Nullum in hac classe medicamentorum remedium majore fortasse laudatur jure quam pulvis Ipecacuanhæ et Opii. In dosibus parvis effectus præbet felicissimos. Pulvis Jacobi et Antimonii Tartras etiam numerandi sunt. Si balneum obtineri non potest, vel si minus debilis sit æger, quam ut in balneo descendat, abdomen pannis aqua calida madefactis sit fovendum. Promoveri debet diaphoresis diluentibus, si ventriculo conveniunt. In lecto detinendus est ægrotus, et fascia lanea circa abdomen arcta, maximo inserviet commodo.

Opium.—In stadiis primis Dysenteriaë, et si robustus et plethoricus sit æger, summa cura evitandum est opium. Febrem, sitem insatiabilem, delirium, omniaque alia signa hujus morbi infausta, inducit; sed caute adhibitum, utile est in Dysenteria medicamen. Post venæsectionem, usumque vomitus vel purgantium, præcipue si anxius et turbatus sit æger, tute adhibeatur. PRINGLE et J. HUNTER Jamaicaë opium laudant, sed usum

ejus, donec subsidat diathesis phlogistica, pertinaciter negant. “ If,” ait HUNTER, “ the griping and other symptoms are relieved by the physic, an opiate never fails to do good, by prolonging the truce thus made with the disease.” Opium cum pulvere Antimoniali et cum Submuriate Hydrargyri conjunctum, a nonnullis maxime laudantur medicis. Hyosciamus, modo leniore operandi, fortasse majore usurpetur effectu. WILSON PHILIP de ejus usu ita scripsit: “ The hyosciamus, as far as I know, has not been recommended in Dysentery, although its anodyne and gently laxative qualities seem eminently to adapt it to this disease.” Enemata mucilaginoso, cum opio vel cum infuso Papaveris somniferi, irritationem recti multum levant.

Ad secundum consilium exequendum, nempe, materiam offendentem ex intestinis remove, *purgantia* indicantur medicamenta.

In hac classe remediorum, Oleum Ricini, Submurias Hydrargyri, Rheum Palmatum, Salesque Neutri, jure summum tenent locum. Nullum fortasse existit purgativum quod tam frequenter effectum exoptatum, scilicet scybalorum expulsionem, efficit, quam *Submurias Hydrargyri*.

HARTY, de hoc medicamento loquens, sequentia memorat: "Whether received in the light of a purgative, sudorific, or deobstruent, no remedy can rival mercury in the cure of Dysentery. It acts against it in a treble capacity; as a purgative it effectually cleanses the bowels of their morbid contents; as a sudorific it materially influences their action, and tends to make it regular, while, as a deobstruent, it acts powerfully on the biliary system, which in this disease is more or less deranged." Plerumque grana quatuor vel quinque, tertia quaque hora adhibita, scybala dejicient. Sed in regionibus tropicis grana viginti vel etiam triginta, aliquando præscripta fuerunt. Complures contra, Submuriatem Hydrargyri, nisi cum aliis conjunctum purgantibus, prohibent. WILSON PHILIP hæc habet verba: "Calomel has been much extolled; but it ought perhaps never to be given alone; its operation is always rendered both more certain and more easy, by combining it with other cathartics. In many, particularly when taken alone, it occasions tenesmus, and I have repeatedly seen it produce a temporary Dysentery. It is when this disease is the consequence of, or complicated with bilious

affections, that calomel is most serviceable." Hoc tamen certum est, remedium esse efficacissimum, et cui fere soli in Dysenteria Chronica fidem damus.

Oleum Ricini a multis usurpatur, sed sæpe tormina excitat, et ventriculo haud semper convenit.

Rheum Palmatum, etsi a multis exhibitum, a CULLENO et BAKER obnoxium putatur. Fere semper auget irritabilitatem et tormina, et hodie in Dysenteria Acuta non tam sæpe adhibitur.

Jure laudantur in hoc morbo *Sales neutri*, et effectu eorum leni, Submuriatem Hydrargyri multum adjuvant.

Enemata a multis scriptoribus elata fuerunt, eo quod recto fæces induratas tollunt, et sic tenesimum irritationemque hujus intestini minuant. A JOHANNE HUNTER Jamaicæ, sæpe exhibita fuerunt enemata antiseptica, et Anodyna e decocto Cinchonæ et pulvere Opii composita, et fere semper indicia præbebant faustissima. Positus supinus a DOCTORE WILSON PHILIP præcipue laudatur.

De corporis vigore restituendo, nunc restat paululum disserere.

Post impetus Dysenteriaë graves, ope medicamento roborantis sustinendæ sunt vires. Pulvis Cinchonæ, aliquando huic inserviet consilio. Sed nauseam torminaque inducit, et sæpe usu ejus revertit inflammatio. Ubi autem multum prostratæ sunt vires convalescentis, caute adhibeatur.

Vinum Lusitaniæ rubrum, ut decet, exhibitum, remedium est gratum, et parca copia concessum, parique aquæ parte dilutum, vires sustinet. Acidum nitricum cum opio conjunctum, præscriptum fuit, et effectus optimi hoc orti sunt remedio. Varia ferri præparata usurpantur, et aliquando eventu felici.

Dysenteria sæpe in Diarrhœa terminat. Ubi id accidat, levanda sunt symptomata haustibus anodynis, quæ si haud morbum reprimunt, adhibenda sunt astringentia, sed præcipue præparata cretacea, et opii, ctiamque parvæ doses kino vel catechu.

Diæta per totum morbi decursum ex rebus facile concoctis et simul nutrientibus, sicut farina variis modis præparata, et præcipue sub forma liquida, constare debet. Doctor D. MONRO equitationem jubet, quæ procul dubio ad vires restituendas magnopere confert. Maximum commo-

dum nonnunquam derivari potest ab usu (ut supra dixi) laneæ fasciæ abdomini circumdatæ. Summa per totum morbi progressum observanda est munditia, et aër purus in ægri cubiculum libere admittendus est.

SECTIO CADAVERIS.

PATEFACTO abdomine eorum quos abstulit Dysenteria, maxime crassefacta videntur intestina; omniaque inflammationis, ulcerationis et gangrænæ vestigia invenimus. Sed præcipue majora afficiuntur intestina, et haud raro ad ventriculum ascendit inflammatio. Peritonæum solito crassius, et sæpe gangræna maculisque lividis infectum, non infrequenter intestinis vel omento adhæret; distenduntur interdum aëre intestina; abraduntur tunicæ internæ, abscessusque haud raro colon rectumque corrumpunt. Ubi morbus per aliquot duravit tempus, apparet rectum scirrhosum, et maxime eroditur superficies ejus interna.

Intestina minora morbi vestigia haud tam manifesta prodeunt; sed inflammationis signa sæpe

exhibent. Non solum intestina, sed etiam alia abdominis viscera, afficiuntur. Tumescunt glandulæ mesentericæ, et in materiam caseosam sæpe convertuntur. Hepar durius quam in statu naturali, et magnitudine auctum observatur. Pancreas et lien eandem sæpe cum hepate sortem subeunt. Fellis vesicula plerumque bili plena acri est reperta; urinaque in liquorem chylo similem aliquando convertitur.

FINIS.

Peter Dennis Esq
with the respects of
The Author,

